

rentiam earum adde angulo communi, si maior pars proportionalis fuerit addenda, aut minue si maior minuenda fuit. Quod enim hac lege vel colligetur vel residuabitur, ascensionem planetæ rectam numerabit.

In huiusmodi autem operatione nonnunquam colliguntur plures quam 360. gradus tunc itaq; 360. abijciendi sunt, & residuum pro ascensione recta tenendum.

Stellæ autem latitudine penitus carentis ascensionem rectam inuenies, vel in columnula media, cui figura o supra scribitur vel per tabulam ascensionum rectarum, quemadmodum communiter fieri solet.

Præterea contemplandum est, quod in principio tabulæ sub latitudine septentrionali, & in fine eiusdem sub latitudine meridiana contingit aliquando, numerum anguli communis esse maiorem 356 gradibus, & numerum collateralem, dextrum inquam vel sinistrum, minorem 4. gradibus, aut è contra: tunc itaq; minori earum adiungendus est totus circulus 360. graduum, & aggregato utendum est, ac si fuisset repertum in tabula pro parte proportionali, ac cæteris operibus absoluendis.

Quicquid autem hætenus de planetis præcepimus, de stellis quoq; fixis accipiendum est, latitudinem 8. graduum nequaquam exilientibus.

In exemplo repetatur stella, qua vsi sumus in primo problemate. ex directo 12. graduum, sub latitudine trium graduum septentrionali inuenio gradus 164. minuta 34. cuius numeri & proximo subsequenti differentia est 56. minuta, de qua differentia accipio partem proportionalem secundum proportionem 15. minutorum ad 60. minuta, est autem pars illa proportionalis 14. minutorum addenda, item dictus numerus anguli communis demptus ex numero collaterali sinistro relinquit 24. minuta, quorum pars proportionalis secundum proportionem 24. minutorum ad 60. est fere 10. minuta addenda: congregatis itaq; huiusmodi partibus proportionalibus, & congerie earum adiecta ipsi angulo communi, resultabunt 164. gradus & 58. minuta: tantam igitur pronuntiabo ascensionem rectam stellæ propositæ.

#### QUARTVM PROBLEMA.

### *Ascensionem rectam cuiusvis stellæ generaliter inuestigare.*

**I**Ntra tabulam cæli mediationum generalem, cum vero loco longitudinis stellæ & arcum Aequatoris ex directo eius repertum seorsum scribe cum numero multiplicando, arcum inquam qui inscribitur radix ascensionum. Est autem arcus huiusmodi, portio Aequatoris inter principium Arietis & circulum latitudinis stellæ comprehensa.

B 3

Deinde